Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1003

Quelle:
Copyright:

dacio. Verſatus eſt porro *Serarius*, cui *Moguntiam Codex* ſubmiſſus fuerat, magna in exſcribendo adcuratione, non tamen ea, quae omnis ſpicilegii ſpem ſuccideret, adjecitque in calce *Notas*, quibus et Codicis ideam exhibet et ſingulas Epiſtolas illuſtrat. Nos pauca addemus. *Epiſt.* 1. corruptum illud *apoto grammaton agiis* legendum videtur ἀπο τȣ γϱαμματος ἁγιȣ *ex ſacra ſcriptura*; puto enim *Bonifacium* alludere ad illud *Pſ.* LXXV. *v.* 6. *Dormierunt ſomnum ſuum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* *Fol.* 2. p. 2. literae quadratae Inſcriptionis *Epiſt.* 3. ſingularis formae ſunt et vix omnes per diverſa a *Mabillonio*, *Hickeſio* et Autoribus *Novi Operis Dipl.* exhibita *Alphabeta* reperiundae. H ponitur pro E. Inverſum C pro P. Inverſum Z pro S. I, O, A, F, K facile agnoſcuntur, difficulter vero T, L, B, N, D. Legendum vero: *Epiſtola Beati Bonifati Epiſko. Danielo. Epiſkopo. Bon.* Ejusmodi characteres pluries in Inſcriptionibus occurrunt, quos an *Angloſaxonicos*, an *Francogallicos* dicam, haereo, quanquam ductus literarum minorum ſatis ad priorem ſcripturam accedant. *Fol.* 39. p. 2. ad calcem *epiſt.* 68. linea literis uncialibus perſcripta occurrit, quae etiam retrograde legi poſſe videtur, ſed nihil divino praeter illius utrinque extrema *METRo hoc — cohoRTEM.* Omiſit illam Serarius, neque ad ſequentem vocularum ſeriem aliquid adnotavit. Eam hic repraeſento, ut lector ipſemet obſervare poſſit, voculas illas nomina eſſe literarum Alphabeti: *Aſc. berc. can. donr. ebu. feli. gip. bagal. is. ker. lagu. man. not. os. pert. quirun. rat. ſuigil. tac. ur. ilc. ian. zar.* Apud quem vero populum literae ſingulae ſic adpellatae fuerint, ignoro. *Hickeſius* in *Gram. Angloſax.* *Spelmanus* ante ſuam *Concilior.* editionem figuras et vim *Angloſaxonicarum* dare contenti fuere, *Mabillonus* de *Re Dipl. Runicarum* tantum nomina exhibet, atque ex his quaedam noſtris affinia ſunt, nempe B. Berc. *Biarkan.* H. Hagal. *Hagl.* I. Is. *Iis.* L. Lagu. *Lagur.* N. Not. *Naud.* O. Os. *Oys.* V. Ur. *Ur.* Noſtris itaque nominibus literae fortaſſis *Angloſaxonicae* olim inſignitae fuere.

II. *fol.* 78. ſequitur Pars *Novi Teſtamenti*, videlicet *Actus Apoſtolorum*, *Epiſtola Jacobi* et *Petri prima*, praefixo cuivis *Elencho Capitum*, qui admodum raro in antiquis *Bibliorum* exemplis occurrit. *Actus* Prologi loco illud *Hieronymi* ex epiſt. *ad Paulinum* habent: *Actus apoſtolorum nudam quidem ſonare uidentur hiſtoriam* &c. Praefationis loco illud Ejusdem: *Canit Pſalmiſta; ambulabunt a uirtutibus in uirtutem* &c. quae duo in magnis *Bibliis gloſſatis* ante *Actus* in unum coagmentata leguntur. *Fol.* 116. p. 2. *Incipit Prologius de epiſtulis canonicis Numero VII.* Iterum locus ex epiſt. *ad Paulinum: Jacobus.*